

Všeobecné povstání galů pod vedením Vercingetoriga

Caesar, Commentarii belli Gallici, VII/4

Vercingetorix, Celtilli filius, Arvernus, summae potentiae adulescens, cuius pater principatum Galliae totius obtinuerat et ob eam causam, quod regnum appetebat, ab civitate erat interfectus, convocatis suis clientibus facile incendit. 2 Cognito eius consilio ad arma concurritur. Prohibetur ab Gobannitione, patruo suo, reliquisque principibus, qui hanc temptandam fortunam non existimabant; expellitur ex oppido Gergovia; 3 non destitit tamen atque in agris habet dilectum egentium ac perditorum. Hac coacta manu, quoscumque adit ex civitate ad suam sententiam perducit; 4 hortatur ut communis libertatis causa arma capiant, magnisque coactis copiis adversarios suos a quibus paulo ante erat electus expellit ex civitate. 5 Rex ab suis appellatur. Dimittit quoque versus legationes; obtestatur ut in fide maneant. 6 Celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turonos, Aulercos, Lemovices, Andos reliquaque omnes qui Oceanum attingunt adiungit: omnium consensu ad eum defertur imperium.

Píseň písní, 4.

1quam pulchra es amica mea quam pulchra es oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet
capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad

2dentes tui sicut greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro omnes gemellis fetibus et sterilis non est inter eas

3sicut vitta coccinea labia tua et eloquium tuum dulce sicut fragmen mali punici ita genae tuae
absque eo quod intrinsecus latet

4sicut turris David collum tuum quae aedificata est cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea
omnis armatura fortium

5duo ubera tua sicut duo hinuli capreae gemelli qui pascuntur in liliis

6donec adspiret dies et inclinentur umbrae vadam ad montem murrae et ad collem turis

7tota pulchra es amica mea et macula non est in te

8veni de Libano sponsa veni de Libano veni coronaberis de capite Amana de vertice Sanir et Hermon
de cubilibus leonum de montibus pardorum

9vulnerasti cor meum soror mea sponsa vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine
colli tui

10quam pulchrae sunt mammae tuae soror mea sponsa pulchriora ubera tua vino et odor
unguentorum tuorum super omnia aromata

11favus distillans labia tua sponsa mel et lac sub lingua tua et odor vestimentorum tuorum sicut odor
turis

12hortus conclusus soror mea sponsa hortus conclusus fons signatus

13emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus cypri cum nardo

14nardus et crocus fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani murra et aloë cum omnibus
primis unguentis

15fons hortorum puteus aquarum viventium quae fluunt impetu de Libano

16surge aquilo et veni austus perfla hortum meum et fluant aromata illius